

ILLUSTRATUR

CANTICUM EX EURIPIDIS BACCHIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FEODORUS MARTINUS SCHULZ

CROSSENSIS.



HALIS SAXONUM

FORMIS HENDELIIS.

MDCCCLXVIII.

DOMINO AC PRINCIPI
SERENISSIMO

DOMINO

HENRICO XIV,

GENTIS RUTHENICAE CAPITI

REIPUBLICAE IMPERIUM TENENTI

HOC LIBELLUM

G R A T I A N I M I S I G N U M

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Chorus ex Maenadibus constans in cantici exordio (v. 64—73) Bacchum clamore laeto celebrare sibi esse in animo indicat atque omnes, ne sacrum officium impediant, adhortatur.

V. 64. *Ἀσίας ἀπὸ γαίας* legimus pro *Ἀσίας ἀπὸ γᾶς* cum Hermanno metri caussa. Quae verba quid valeant, optime v. 17—19 huius fabulae explicatur. Quaeritur quomodo, quae leguntur, conectenda sint. Qui ut Elmsleius post *Βρομίῳ* interpungunt, cum *θοάζω* iungunt *Ἀσίας ἀπὸ γαίας*, nos, qui virum doctissimum nec in distinguendis enuntiatis, nec in explicanda vocabuli *θοάζειν* notione sequimur, verba illa sic putamus dicta esse, ut locum indicent, ex quo chori personae profectae sint (cfr. Krueger, griech. Sprachlehre I. §. 68, 16. 5); cum *ἀμείψασα* enim voce cohaerere non possunt. — *ἀμείβειν* respondet Latino „mutare;" accusativo adiecto ea res significatur, quae mutando relinquitur; sic loci, quo antea homines, de quibus agitur, versabantur, accusativus occurrit in Soph. Phil. 1262. Trach. 655. Eur. Orest. 1295. Iph. Aulid. 144. Alium usum *ἀμείβειν* verbi cernimus in huius fabulae v. 4; nam *μορφὴν βροτησίαν* mutando non reliquit, sed assumpsit Bacchus; similiter dictum est: *πόσιν ἀντὶ σᾶς ἀμεῖψαι ψυχᾶς* (Eur. Orest. 461). — Verbi *θοάζω* explicationem accuratissimam dedit Erfurdtius ad Soph. Oed. R. v. 2 demonstrans petendum esse vocabulum ex *θοός*, *celer*, ut sit *festinare* et *θοάζειν πόνον* vertit: *urgere*

vel *festinare laborem.* Quod paullo longius progressi reddere possumus: *festinanter et ideo studiose peragere laborem;* A. Matthiae aliquanto liberius exponit: *saltationem* (in honorem Bacchi) *furore Bacchico percita perago.* Ac nostrae quidem explicationi Hesychius favet, quum *ἀνύω, τελῶ* voces ad *θοάζειν* explanandum adhibuerit. — Iam satis apparet nos eorum partes sequi, qui *πόνον ἡδὺν* cet. accusativos obiecti locum tenere et cum *θοάζειν* coniungendos esse censent (cfr. Eur. Orest. 335. Iph. Taur. 1112. Herc. fur. 383). Alii cum Elmsleio *θοάζω* absolute positum esse putantes interpretantur: *κινοῦμαι, μεθ᾽ ὁρμῆς φέρομαι* (Hesychius: *χορεύειν, σκιρτᾶν, πλανᾶσθαι, θεοφορεῖσθαι*), quae significatio defenditur v. 215, Orest. v. 1542, compluribus aliis locis ab Elmsleio collectis. Quam qui amplectuntur interpretationem *πόνον ἡδὺν* cet. *ἐπεξήγησιν* esse iudicant, quales leguntur v. 30. 246. 1224. Qua appositione ad praecedentem sententiam referenda non raro usos esse poëtas, inprimis Euripidem (cuius plura exempla attulit Pflugkius ad Hec. 1074. Androm. 291. Hel. 77) grammaticorum auctoritate constat. (Cfr. Bernhardy, wissenschaftliche Syntax p. 127. Krueger, I. §. 57, 10. 10 [II. §. 57, 10. 6]). Sed tales appositiones nec multa verba complecti solent, nec gravia, id quod ad hunc locum non pertinere videmus; praeterea eo offendimur, quod, quum alias fere semper *ἐπεξηγήσεις* illae in fine enuntiatorum ponantur, hic sequuntur etiam verba *Βάκχιον εὐαζομένα,* quae satis languida videntur esse Elmsleii sententia probata; nostra autem interpretatione servata necessariam quandam illius *θοάζω* explanationem exhibent; in eo enim cernitur labor ille, ut Bacchum celebrent Maenades. — *Βρομίῳ* Elmsleius reddit *ὑπὸ Βρομίου* sc. *κινοῦμαι* collato v. 121. *οἰστρηθεὶς Διονύσῳ*; at ipse „praestare," inquit postea, „videtur altera dativi *Βρομίῳ* interpretatio *in hono-*

rem Bacchi scilicet cuius exemplum exstat Hel. 1364 *βακχεύουσά τ' ἔθειρα Βρομίῳ καὶ παννυχίδες θεᾶς.*" — Praeferendus est profecto hic interpretandi modus, praesertim quum *θοάζω* verbis in re sacra adhibitis adnumerandum sit, quae praecipue a poëtis sic usurpata esse docet Bernhardy p. 86. — Schoenius *τὸν πόνον* scripsit, articulo coniectura recepto, ut strophae metrum antistrophae omni ex parte responderet; defendit lectionem suam dicens articulo significari usitatum illum laborem (*τὰ αἰεὶ νομισθέντα* v. 72), quo deum celebrent Bacchae, id quod videtur probari posse. — In verbis *πόνον ἡδὺν κάματόν τ' εὐκάματον* — *ὀξυμώρου* exemplum habemus, si sententiam respicimus; sed hic locus ab aliis, qui vulgo commemorari solent, differt eo, quod *ἡδὺς* et *εὐκάματος* non habent vim negativam, quum alibi saepissime substantivis iungantur adiectiva ab ipsis et *α στερητικῷ* composita, ut in Eur. Hel. 362. 690. Hec. 612, etiam in notis illis *τάφος ἄταφος* = insepulta sepultura (Cic. Phil. I. 2. 5). Non multum discrepant ab hoc exempla Eur. Phoen. 185 *μεγαλανορίαν ὑπεράνορα* et v. 1553. *πόδα τυφλόπουν.* Talium vocabulorum maximi ponderis est ea syllaba, qua alterum ab altero distinguitur. — Quae sequuntur *Βάκχιον εὐαζομένα* habent omnes codices; B (Pal.) nihil praeterea addit; sic etiam C (Laur.) a prima manu, sed a secunda *τὸν Βάκχιον εὐαζομένα θεόν.* — *τὸν* facile falso adiici poterat repetita ultima vocis praecedentis syllaba, *θεὸν* facile omitti, quod saepe per simplex *Θ* scribebatur. Tamen haec scriptura minus probanda est, quia *Βάκχιον θεόν*, quum aliis locis (v. 191. 520. 598. 1081. 1116. 1137. 1181) breviter *Βάκχιος* dicatur, sine caussa dei nomen nimis latum exhiberet. Quod vero Hermannus postulavit, *θεὸν* ut retineretur, quia in principio carminis maxime dici debuisset, deum esse, quem chorus celebraret; haec magis congruunt cum *ἀζομένα*

quod contra libros recepit vir doctissimus, quam cum εὐαζομένα. Ad illud enim, quum sit „venerans" satius definiendum praeter obiectum Βάκχιον requirere possit aliquis accusativum praedicativum θεόν, qualis ad εὐαζομένα propter notionem ipsam, de qua statim dicemus, addi non poterat. εὐαζομένα: „verbum," inquit Hermannus, „vix alibi reperias media forma usurpatum." — Sed ideo non reiicienda est codicum auctoritas. Quum εὐάζω, quod legitur in v. 1026, valeat: εὐα clamo, tum omnino: Bacchicum clamorem edo; forma media eadem significatione poni potest. Commode Elmsleius laudat v. 159 εὔια τὸν εὔιον ἀγαλλόμεναι θεόν, ubi item media pro activa forma usitatiore reperitur. Ut in hoc exemplo sic etiam ad εὐαζομένα accusativum adiectum videmus, qui potest esse obiecti casus, qualem ex activa forma pendentem invenimus apud Athen. IV. 175 d. εὐάζων μελῳδὸν χορόν. Concessa ergo transitiva notione optime reddemus εὐάζεσθαι: clamore laeto celebrare Bacchum.

v. 69—73. Recipienda est codicis Pal. scriptura: τίς ὁδῷ; τίς ὁδῷ; τίς μελάθροις; omisso δὲ Aldinae editionis post tertium τίς posito. Chorus quum se Bacchum celebrare velle nuntiet, ut omnia recte se habeant, studet efficere. Quaerit igitur: τίς ὁδῷ; cet. Interrogatio quodammodo anxia et sollicita profertur, id quod repetito illo τίς ὁδῷ; exprimitur. — Quae deinde leguntur ἔκτοπος ἔστω — ad eos pertinent, qui tum forte in publico erant et occurrere poterant (Brunck); non igitur opus est Musgravii coniectura ἄκτυπος ἔστω, quibus verbis nihil aliud indicatur, nisi quod statim melius redditum invenimus: στόμα τ' εὔφημον ἅπας ἐξοσιούσθω. Cuius enuntiati sententiam esse: *favete linguis* (εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμί Aesch. Eum. 1039) neminem fugit. Singula explicare aliquanto est difficilius. εὔφημον non attributi, sed praedicati locum tenens significat effectum τοῦ ἐξοσιοῦσθαι.

Itaque προληπτικῶς dictum est, ut in Aesch. Agam. 1247 εὔφημον, ὦ τάλαινα, κοίμησον στόμα. — εὔφημος vocabulum rei sacrae proprium est, primum ad negotia boni ominis notanda usurpatum; tum ut εὐφημία in deorum cultu σιωπὴν, silentium sacrum, designat, ita os εὔφημον dicitur, quod pie attento in sacra animo silens verba ritus solemnes perturbantia non profert. Cui descriptioni ut respondeat, oportet unumquemque ἐξοσιοῦσθαι στόμα. Verbum compositum eandem vim videtur habere atque simplex ὁσιοῦσθαι nisi quod ἐξ praepositione indicatur omni ex parte perfectam atque absolutam cogitandam esse simplicis actionem ut in ἐξημερῶσαι γαῖαν (Eur. Herc. fur. 20) et ἐξεφθαρμένη (Hec. 669). Iam videamus, quid valeant ὁσιοῦν et ὁσιοῦσθαι; ducta sunt haec vocabula ex adiectivo ὅσιος, quo res non quidem diis sacrae, quae ἱεραὶ nominantur, sed quamvis profanae tamen lege divina sancitae, huic legi respondentes significantur; id quod optime demonstratur Eur. Orest. vv. 546. 547 ἐγὼ δ'ἀνόσιός εἰμι μητέρα κτανών, — ὅσιος δέ γ' ἕτερον ὄνομα τιμωρῶν πατρί; audiatur etiam Plato, qui scripsit in Euthyph. 6. E. ἔστι τοίνυν τὸ μὲν τοῖς θεοῖς προςφιλὲς ὅσιον, τὸ δὲ μὴ προςφιλὲς ἀνόσιον. — Ὁσιοῦν ergo est efficere, ut aliquid legibus deorum sive institutis sacris respondeat; media autem forma ita uti possumus, ut valeat aut: se ὅσιον reddere ritibus solemniter peractis et deinde: rite se gerere — atque hanc vim postea v. 117 habet — aut: sibi, in suum commodum ὅσιον reddere, quam huic loco aptissimam putamus esse notionem. — ἅπας additur, ut appareat moneri et eos, qui in aedibus erant, et eos, quos chorus antea ex via cedere iusserat, ne vocibus male ominatis (δυσφήμοις) sacra impedirent. Euripidem patet poëtico more immutasse formulas usitatas: ἐξίτωσαν οἱ βέβηλοι et εὐφημεῖτε. — Quae sequuntur verba non sine vitio videntur

tradita esse; nam quae leguntur in codd. optimis: *τὰ νομισθέντα γὰρ αἰεὶ Διόνυσον ὑμνήσω*, neque metro strophae conveniunt, neque bene videntur explicari posse. Primum metrum spectemus; Hermannus qui in stropha legit: — *χιον ἀζομένα θεόν*, in antistropha praebet: *Διόνυσον ὑμνήσω*, quae ideo inter se congruere affirmat, quod *ὑμνήσω* primam syllabam corripiat; exempla autem, quae in medium profert, non videntur sufficere. At vel concessa Hermanni sententia nos uti non possumus, quia restituimus in stropha *Βάκχιον εὐαζομένα.* Ille clausulam versus constare dicit ex anapaesto et Ionico a min., nos trimetrum ex Ion. a min. compositum catalecticum credimus esse, cuius finis omnino non potest sic formari: ⏑⏑ – ⏖ | ⏖ –. Prorsus metricis rationibus coniectura Nauckii *κελαδῶ* sufficit; placet magis etiam quam quod Schoenius Hermanno auctore recepit *κελαδήσω*, quoniam antea quoque habemus praesens *θοάζω*, non futurum. Iam de verbis videamus. Disceptatur inter viros doctos, ad quod vocabulum *αἰεὶ* referendum sit. Atque Hermannus quidem neque eum *τὰ νομισθέντα*, neque cum *ὑμνήσω* apte coniungi posse illam voculam contendens, Iacobsium (vid. eius Animadvers. in Eur. trag. Goth. 1790 p. 106) secutus *εὐοῖ*, quod *βακχικὸν ἐπίφθεγμα* appellat Harpocration, recepit. Quod si quaeris quomodo explicandum sit, aut *εὐοῖ ὑμνεῖν* notionem *τοῦ εὐάζειν* repetit, id quod satis languidum est, aut *εὐοῖ* exclamationis locum tenet, ut infra v. 144, qualem, quum nimis vehemens et concitata sit, huius carminis colori non aptam ducimus. Alteram coniecturam hanc Iacobsius proponit: *ὦνα* i. e. *ὦ ἄνα, Διόνυσέ, σ' ὑμνήσω;* „quoniam," inquit, „in quibusdam codicibus *ἀνὰ* legitur." Sed minus etiam probamus hanc lectionem, quia neque metro convenit, neque caussa afferri potest, cur hic subito chorus ad deum ipsum se convertat, quum eiusmodi compella-

tio in toto cantico non inveniatur. Denique Brunckius ἤδη scribere voluit pro αἰεί, „quod depravatum ex ἀνὰ incertum," inquit, „utro referatur, cum τὰ νομισθέντα non melius quam cum ὑμνήσω coniungitur." Alterum frigidum esse concedimus; sed non persuadebit nobis Brunckius τὰ αἰεὶ νομισθέντα ideo non conectenda esse, „quod Maenades de his sacris adeo recens institutis dicere non possint, se κατὰ τὰ αἰεὶ νομισθέντα quidvis eorum peracturas esse." — αἰεὶ enim vocabulo tempus diuturnum significari oportere negamus; praeterea, si poëtam nostrum audimus, re vera magnum temporis spatium praeterlapsum esse ut credamus, impellimur, quum v. 13—17 regiones terrae plurimae commemorentur, quas Bacchus et cum eo πάρεδροι καὶ ξυνέμοροι Μαινάδες (v. 57) iamiam adierant; toto autem illo tempore i. e. αἰεὶ facere consueverant, quae hic indicant. — Servamus ergo et coniungimus τὰ νομισθέντα αἰεί, i. e. quae facere soliti sumus, usitata, solemnia. — Quaeritur deinde, quomodo ea, de quibus diximus, cum ὑμνήσω vel κελαδῶ cohaereant. Duplex hic accusativus verbo adiectus est; alter Διόνυσον obiecti est; alter τὰ αἰεὶ νομισθέντα, quae carminibus ad Bacchum celebrandum cantatis continentur, exprimit. (Cfr. Bernhardy p. 121, Krueger II. §. 46, 12. 1.) Itaque τὰ αἰεὶ νομισθέντα verbis notantur laudes dei ipsius et eorum, qui sacrorum Bacchi participes facti sunt, quales in strophis sequentibus inveniuntur.

v. 74 — 80. Quae ab optimis libris exhibentur et Strabonis (lib. X. c. 3. p. 469) auctoritate defenduntur verba ὦ μάκαρ, ὅστις εὐδαίμων olim parum placuerunt viris doctis propter ingratam eiusdem notionis, quae videbatur, repetitionem. Inficetam vulgatam lectionem nominat Brunckius; „εὐδαίμων superfluum, ni fallor," Musgravius inquit, „epitheton praecedente μάκαρ." — Omissis aliorum coniecturis

(*εὐδαίμονα, εὐδαιμόνων*) aut frigidis aut metro non aptis, examinemus solam Musgravii *αἰδήμων*; quod vocabulum, quum sit: pudens, pudicus, verecundus; nemo est, quin videat, minime huius loci sententiae convenire; nam nec cum *εἰδώς*, nec cum *βιοτὰν ἁγιστεύει* bene coniungitur, propterea quod neque in Rheae, neque in Bacchi sacris verecundia inprimis requirebatur. Nihil vero opus est ad coniecturas confugere, quum verba nostra optime ab Elmsleio explicata sint. „Minime," inquit, „supervacaneum est *εὐδαίμων*, quippe quod *θεοφιλής* significet, vel potius peculiarem habeat sensum, quo Numa verbi caussa in deorum familiaritatem admissus *εὐδαίμων ἀνὴρ καὶ τὰ θεῖα πεπνυμένος* dicitur a Plutarcho p. 61. A. Idem paullo post Endymionem aliosque simili fortuna usos *εὐδαίμονας καὶ θεοφιλεῖς* appellat. *Εὐδαίμονες* igitur *οἱ μεμυημένοι*, de quibus loquitur noster, non solum, quia felices sunt, sed etiam, quia maiore quam ceteri mortales rerum divinarum scientia praediti." — *μάκαρ* et *μακάριος* latius patent et accuratissime nostro: *selig* exprimuntur. — Si pluribus verbis ut, quae legantur, ostendamus, postulabitur, dicemus: Beatus ille est, qui diis propitiis, ut sacrorum solemnibus initietur, assequitur. Non raro coniunguntur *μάκαρ* et *εὐδαίμων* in Plat. Republ. I. 354. A. Theog. 1013 cfr. praeterea Iph. Aul. 159 sq. 904. — *τελεταὶ* simpliciter sacra, ut in v. 22. 234. 256, non initiationem significant hoc loco; *θεῶν* autem positum est, quod statim praeter Bacchi etiam Cybeles orgia commemorantur. — *ἁγιστεύει* pro *ἁγνεύει* dictum esse affirmat Elmsleius (Hesychius = *ἁγνεύειν, σέβειν*; Suidas = *ἁγιάζειν*). Propria eius vis est: *sanctum ritibus divinis servatis se gerere, pie vivere;* transitive usurpatum valet sive: *sanctum reddere* sive *purificare, purgare* (*χεῖρας φόνου* Pausan. X. 6. 7). — *θιασεύεται* Reiskius sine dubio liberius explicans dicit idem esse atque *θειάζεται*: fit plenus

deo. θιασεύειν significat θίασον ἄγειν (cfr. v. 375) atque inde: participem esse sacrorum Bacchi sive alius dei. θίασος autem aliqua ex parte iam iis declaratur, quae v. 56. 57 leguntur; praeterea interpretes afferunt verba Harpocrationis: θίασός ἐστι τὸ ἀθροιζόμενον πλῆθος ἐπὶ τελετῇ καὶ τιμῇ θεῶν — et Athenaei p. 362. E. καλεῖται δὲ καὶ ὁ τῷ Διονύσῳ παρεπόμενος ὄχλος θίασος. — θιασεύεται ψυχάν. Forma media cum accusativo coniuncta valet sive: animam suam thiasi particeps consecrat; sive: patitur animam initiari thiaso. Cum his arte conectenda sunt ὁσίοις καθαρμοῖσιν — sic enim legimus cum Elmsleio, Hermanno, aliis metri caussa contra librorum ὁσίοισι καθαρμοῖσι — nec dubitamus, quin recte Schoenius dixerit has purgationes legitimas in eo ipso ponendas esse, ut θιασώτης (v. 359) aliquis fiat. Firmatur haec sententia verbis ἐν ὄρεσσι βακχεύων, quae superiorum explicandorum caussa adiecta videntur. De forma ὄρεσσι — libri praebent ὄρεσι — adeundus Pflugkius ad Eur. Alc. 230 (cfr. Krueger II. §. 17, 4. 1).

In vv. 80—84 de rebus a Bacchi cultu prorsus alienis agi videtur; nam mater magna atque eius orgia commemorantur. Sed necesse est meminisse Bacchi et Cybeles sacra fuisse coniunctissima, id quod cum ex hac ipsa Euripidis tragoedia tum ex iis cognoscitur, quae fabularum scriptores memoriae prodiderunt. A Iove enim, quum Bacchum peperisset, puerum ut Iunonis insidiis subtraheretur et tuto educaretur aut nymphis Nysaeis aut, ut hic Euripides videtur fingere, Rheae in Tmolo monte cultae sive Cybelae Pessinuntiae traditum esse narrant (cfr. Preller I. p. 505. 546). Hoc certe constat Bacchi et matris magnae orgia inter se simillima fuisse, qua de re statim plura cognoscemus, et ideo saepe inter se confusa esse. De Cybele cfr. Strabon. lib. X. 3, Preller I. p. 504. — Legimus θεμιτεύων cum Mus-

gravio, Elmsleio, Hermanno, aliis, quod *θεμιστεύων* metro adversatur; valet autem: legitime, rite peragere. — In vocibus *ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων* occurrit tmesis, qualem eiusdem verbi habemus in Eur. Orest. 341, eiusdem praepositionis in huius fabulae v. 171 et in Orest. 1416 sq., similem mox (v. 99) *κατὸ μηρῷ δὲ καλύψας*; sed in v. 544 huius tragoediae aut legendum est *τινάσσων, ἄνα, θύρσον*, aut *ἀνὰ* pro adverbio *ἄνω* accipiendum. — Pro librorum verbis *κισσῷ τε στεφανωθείς*, quae illustrantur vv. 201. 319. 695, Hermannus Strabonis auctoritatem, qui *τέ* omisit, secutus metri caussa *κατὰ κισσῷ στεφανωθεὶς* posuit. Sed coniunctionem inviti desideraremus; molossus contra locum Ionici a min. tenere potest. — Hedera in sacris Bacchi sectatores usos esse nonnulli putant, quia ob frigiditatem ebrietati obsisteret; mea quidem sententia, quod folia et bacas pampino et uvis non dissimilia profert (itaque Soph. Oed. Col. 674 scripsit *τὸν οἰνῶπα νέμουσα κισσόν*), adhibita est; hoc etiam non praetereundum esse opinor hederam per totum annum ornatum viridem praebuisse, quum vitis praesertim iis mensibus, quibus Athenis Baccho dies festi agebantur, foliis careret. Aliam illius usus caussam ex fabulis petitam proponit Ovidius in Fast. III. 767 sq.

v. 85—90. Baccharum nomen hic non pertinere ad mulieres Thebanas, ut in v. 51, sed omnino ad comites Bacchi eo quod, ut deum ex Phrygiae montibus deducant, adhortantur, perspicuum est. *Βρόμιον* cum *θεὸν* coniungendum adiectivi locum tenet, non nominis proprii; vocabulum petendum ex *βρόμος* et *βρέμω*, cui cognata sunt fremo et brummen, significat deum quasi strepentem sive tumultuantem, quem comites per montes silvasque vagantes clamore laeto prosequuntur. Cfr. Hom. hymn. 27, 7. — *θεὸν θεοῦ*: sic saepe eiusdem vocis casus diversos alterum ad alterum

proxime apponi satis notum est; cfr. Alc. 803. Heracl. 611. — *κατάγειν* deducere proprie hic usurpatum est propter verba *ἐξ ὀρέων Φρυγίων*, de quibus iam antea diximus. — *εὐρυχόρους* quod metrum postulat, habet B ante correctionem, ceteri libri *εὐρυχώρους*. Veram lectionem restituit Barnesius. Vocem saepe in Homeri carminibus occurrentem explicat Scholiasta ad Od. ζ, 4 *ἐν ᾗ ἔστιν εὐρὺ χορεύειν*. — *ἀγυιαὶ* commemorantur, quod per vicos Baccharum pompae incedebant cfr. Eur. Herc. fur. 782. Soph. Antig. 1130 sq. —

v. 91—107. Chorus describit, quomodo Bacchus natus sit. Fabula notissima a plurimis est narrata; cfr. Schol. ad Iliad. ξ, 323. Apoll. 3, 4. Hygin. fab. 179. Ovid. Metam. 3, 253 sq. — Spectemus singula: *ὅν ποτ᾽* verba referenda ad *τὸν Βρόμιον* pendent aut ex *ἔτεκε μάτηρ* aut ex *ἔχουσα*, ad alterutrum vero intelligendum est *αὐτόν*. Matthiae *ἔχουσα* reddit: *quem cum utero ferret* — laudato Herod. V. 41 (6). Integram locutionem invenimus apud Herodotum III. 32 (20): *τὸν δὲ θυμωθέντα ἐμπηδῆσαι αὐτῇ ἐχούσῃ ἐν γαστρί.* Quam si probas interpretationem, *ἐν ὠδίνων λοχίαις ἀνάγκαισι* de tempore accipias (cfr. Krueger I. §. 48, 2. 8) et artissime cum *πταμένας Διὸς βροντᾶς* coniungas necesse est. At profecto languidius et fere supervacaneum hac explicatione admissa *ἔχουσα* videtur esse, quum *ἔτεκε* vocabulo satis doceamur Semelen gravidam fuisse. Magis igitur placet alter explanandi modus, quo *ἔχουσ᾽ ἐν ὠδίνων λοχίαις ἀνάγκαισι* consociata redduntur: quum versaretur in partus puerperis laboribus; nam *ἔχειν ἔν τινι* formula statum quendam significari et usurpari *ἔχειν* intransitive pro *εἶναι* etiam sine adverbiis (*ἠρέμα, ἡσυχῇ, καλῶς* cet.) docent grammatici (Krueger II. §. 52, 2. 3). Itaque non opus est Musgravii coniectura *πόδ᾽ ἔχουσ᾽ ἐν* cet. pedem habens in cet. (vid. Eur. Hel. 76), qua nimirum simpliciorem totum locum fieri agnoscimus. —

ὠδῖνες sunt proprie dolores parturientis; hic autem ut saepe melius de partu ipso vocem illam interpretabimur propter verba ἐν λοχίαις ἀνάγκαισι, quae valent: in angustiis, molestiis, doloribus ad partum pertinentibus, pariendo motis sive excitatis. — Fatemur notiones similes coacervatas non valde placere, nisi poëtam summum doloris gradum describere voluisse iudicamus. — Ut hic ἔκβολον νηδύος, sic Eur. Phoen. 811 βρέφος ἔκβολον οἴκων. — αἰὼν hoc loco et in v. 393 significat vitam. Audias Hesychium a Pflugkio ad Alcest. v. 337 (cfr. 475) laudatum: αἰών· ὁ βίος τῶν ἀνθρώπων, ὁ τῆς ζωῆς χρόνος. — Pro lectione recepta κεραυνίῳ πλαγᾷ, quam Bothius interpretationem ἄμετρον vocis poëticae κεραυνοπλαγᾷ, cuius exempla non affert, dicit, cod. Pal. habet κεραυνία πληγᾶ, unde Kirchhoffius recte κεραυνίᾳ πληγᾷ restituit; videas v. 6. 237 Soph. Antig. 1139. Hermannus praetulit κεραυνοπλῆγα leviter mutatis strophae verbis, quae respondent ὁσίοις καθαρμοῖς scribendo, et grammatici testimonio κεραυνοπλὴξ esse Alcaei poëtae docuit; sed fere audacius αἰὼν κεραυνοπλὴξ videtur dictum esse, quamvis optime in Alcaei verbis ad personam, Vulcanum dico, referatur.

v. 97 sq. Iuppiter statim dicitur recepisse Bacchum λοχίαις θαλάμοις i. e. thalamis ad partum pertinentibus, partui destinatis, qui quales fuerint verbis κατὰ μηρῷ δὲ καλύψας cet. explicatur (cfr. v. 515). Quum sic omnia bene se habeant, non opus est ingeniosa Iacobsii coniectura λοχίαις παλάμαις i. e. manibus obstetricantibus infantem flammis eripiens. Quae sequuntur optime definiuntur iis, quae adscripsit scholiasta ad Iliad. ξ, 323 ἐξαμηνιαῖον τὸ βρέφος ὁ Ζεὺς ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάσας ἐνέῤῥαψε τῷ μηρῷ (cfr. v. 236. 518). Cuius rei miram, ne dicam insulsam explicationem invenimus in huius fabulae v. 282 sq. Miram quoque imaginem praebet descriptio χρυσέαισι ξυνερείδει περόναις; sic enim legere malu-

mus pro χρυσέαισιν συνερείδει, quia haec propter syllabas σιν et συν collidentes sonum minus gratum efficiunt et libri non repugnant. De forma ξυνερείδει vide quae adnotavit Elmsleius ad v. 52 v. 102 sq. Alterum (cfr. v. 95) ἔτεκεν indicat iterum natum esse Bacchum eo tempore, quo prodiit ex patris femore, unde eum Διθυράμβου nomen accepisse monet Etymol. magn. s. v. Διθύραμβος. Plurimi interpretes vocabula ταυρόκερων θεὸν ad τέλεσαν rettulerunt; nobis aptior Kirchhoffii videtur distinguendi ratio, qui scripsit: ἔτεκεν δ', ἁνίκα Μοῖραι τέλεσαν, ταυρόκερων θεόν; nam sic extrema verba obiecti locum ad ἔτεκεν referendi tenent, quo tota oratio efficacior fit; qui modo νηδύος ἔκβολος fuerat, nunc ταυρόκερως θεὸς prodit. — Iam videamus de epitheto ταυρόκερως. Primum comparanda sunt, quae similia in hac fabula leguntur, in vv. 914 sq. 1010. 1151. Quibus omnibus ad Bacchum relatis cognoscitur huic deo tauri speciem poëtam tribuisse. Talia vero non solum ab Euripide excogitata esse, sed omnino in huius dei cultu cerni, testes sunt Plutarch. de Isid. et Osir. 35. Athen. II. 7 (38 d) XI. 51 (476 a). — Fuerunt haec tauri imago et cornua paullum prominentia, quibus instructum caput humanum Bacchi fingi solebat (cfr. Preller I. p. 560), virium procreando conspicuarum signa, quae eadem non solum in Aegypti et Asiae diis, quibus quodammodo Bacchum adnumerare licet, sed etiam apud Graecos in fluminum numinibus occurrunt. Inde ταυρόκερως, βούκερως Ἴακχος (in Soph. fragm. ab Elmsleio ad v. 109 laudato) κερατίας (Diod. Sic. IV. 4), χρυσόκερως (cfr. Hor. Carm. II. 19, 31). Dionysus appellatur. — Alterius signi, quo in Bacchi cultu utebantur, mentio in verbis sequentibus fit. Poëta enim a Iove patre draconum coronis coronatum esse filium contendit, unde i. e. quod Iuppiter hoc fecerit, Maenades crinibus suis talem capturam circumiicere soleant.

Qua narratione, id quod non raro in rebus sacris cernitur, ad morem quendam, cuius origo latuit, explicandum novam fabulam inventam esse credibile est. Hoc certo constat Graecos in Bacchi orgiis anguibus quibusdam innocuis usos esse. De quo cultus genere atque origine disputat Preller I. p. 549 sq. Grammaticam horum verborum rationem bene exposuit Hermannus, ἄγραν non subiecti, sed praedicati locum tenere affirmans; nam ex δρακόντων praedente δράκοντας intelligendum est. Vertit igitur: „Unde eos (i. e. dracones) captos Maenades crinibus innectunt.“ (Cfr. Hor. Carm. II. 19, 19). Neque vero in hoc usu acquieverunt Bacchae, sed ut v. 691 demonstratur, fibularum etiam vice angues gerebant (cfr. Catull. 64, 258). — Pro Aldina lectione θηροτρόφοι, quae eadem Pal. libri videtur esse, Brunckius ex codd. Par. θυρσοφόροι, quod Laur. quoque habet, recepit. θηροτρόφος (= ὀφιοτρόφος Brodaeus), pro quo non bene Musgravius κηροτρόφον i. e. letiferam (sc. praedam) proposuit, invenitur praeterea in v. 547, et non minus fere idem locus tuetur formam θυρσοφόροι, quam praebet etiam Eur. Cycl. v. 64. Atque nobis quidem magis probatur θυρσοφόροι, quum quamquam optime mons Nysa feras alere dicitur (v. 547), non item a Maenadibus angues nutritos esse verisimile sit.

v. 108 sq. Thebarum incolis ad Bacchi cultum evocatis descriptio accuratissima rerum omnium in orgiis necessariarum a choro datur. — Ut hoc loco Thebae, sic alibi quoque urbes pro incolis appellantur; in adiectis Σεμέλας τροφοὶ verbis caussa quodammodo latet, qua ut Bacchum celebrent, commoveantur. — βρύειν proprie valet: *tumere, turgere;* tum item de arboribus usurpatum: *progerminare, pullulare;* denique effectum harum notionum significans potest esse: *vestitum, tectum esse germinibus* sive *surculis.*

Dativis additis res, qua tegi iubentur Thebanae mulieres, indicatur. In verbis exarandis differunt interpretes; alii χλοήρει, alii χλοηρᾷ commendant; neque magis codices consentiunt; nam B habet χλοηρεῖ, C χλοηρ$\overset{\alpha}{\text{ε}}$ῖ, E χλοηρᾶ, G χλοηρ$\overset{\alpha}{\text{ε}}$ῖ. Si accentus ubique in ultima syllaba positos respicias, fortasse iam rectius legendum esse χλοηρᾷ censeas. Sed multis placuerunt, quae Hermannus scripsit: „Quum χλοηρὸς nullam nisi a Christo patiente (v. 675) auctoritatem habere videatur, χλοήρης autem quum aliorum similium vocabulorum comparatione, tum Sophocleo κισσήρης defendi possit, non dubitavi praeferre χλοήρει codicum fide non nisi in accentu errantium.“ — Recepit ergo vir doctissimus vocem, quae omnibus testibus destituta est, pro altera, quae unius certe scriptoris testimonio firmatur. Atque eius nobis quidem ideo gravissima videtur auctoritas, quod eum huius tragoediae verba persaepe in usum suum convertisse satis constat. (Cfr. Philolog. 1853. p. 78 sq.) χλοηρὸς ut χλωρὸς colorem viridem plantarum recentium significat; tamen fortasse melius hoc loco recentis quam viridis vocabulo interpretabimur, id quod apparebit, quum de smilace dixerimus. — Quia B praebet μίλακι, C σ in initio additum a correctore videtur habere, Elmsleium, Fixium, Kirchhoffium sequimur μίλακι scribentes, quamquam Hermannus σμίλακι formam probat, quippe quae plenius sonans antiquior et minus vulgaris sit. Nihilominus ut convolvulum μίλακα esse affirmemus, id quod vir doctissimus a quibusdam discrimine falso inter utramque formam constituto factum esse demonstrat, non adducimur explicatione, quam Schoenius dedit ad v. 111. Perspicientes enim Plinii locum allatum (hist. natur. XVI. 63 [35] Bip.) hoc smilacis genus hederae simillimum, accuratius σμῖλαξ λεία dictum, infaustum omnibus sacris et coronis appellari cognovimus; „quoniam“ (smilax), Plinius

inquit, „sit lugubris virgine eius nominis propter amorem iuvenis Croci mutata in hunc fruticem. Id vulgus ignorans plerumque festa sua polluit, ederam existimando.“ Quamobrem taxum putamus ab Euripide mali ominis profecto non ignaro commemorari, quae quum semper vireat, languidius viridis quam recens vocaretur. — Alterum epitheton *καλλικάρπῳ* a Brodaeo explanatur: „pulchros racemos producenti; corymbi vocantur.“ Tales re vera in convolvulo illo cerni docet Plinius l. l.: „Fert racemos labruscae modo non ederae, colore rubro.“ Taxum autem baciferam appellat (XVI. 20 [10]). Sed quum *καλλίκαρπος* nihil aliud sit quam „pulchros fructus habens,“ bene etiam de bacis taxi poni poterat, neque dubitanter Brodaei falsam esse explicationem affirmamus, quippe quae a falsa illa opinione hoc loco convolvulum nominari profecta sit. — Monere liceat, ne praetereas vocabulorum ordinem quendam congruentem, quo ab initio *κισσὸς* ut *μῖλαξ*, tum *δρυὸς* *ἢ* *ἐλάτας κλάδοι* coniunguntur, ita, ut si taxum esse credis, *μῖλαξ* simillimis pini ramis opponatur, hedera quercus foliis respondeat. — Quae sequuntur cum plurimis interpretibus ex Pal. libri auctoritate *ἢ* *ἐλάτας κλάδοισι* scribenda esse ducimus, cui rationi metrum non obstat, ut recte monet Brunckius. Nostram lectionem tueantur necesse est, qui cum Lobeckio (ad Soph. Aj. p. 360) *καταβακχιοῦσθαι* simpliciter: *coronari* interpretantur, quum non dicatur *στεφανοῦσθαι ἔν τινι*. Ad quem explicandi modum defendendum vocat vir eruditissimus Hesychium, qui scripsit: *Βακχᾷν, ἐστεφανῶσθαι* atque *Ἴακχα, στεφάνωμα εὐῶδες* —, et schol. ad Aristoph. Equit. p. 511, ubi haec leguntur: *Βάκχον δὲ οὐ τὸν Διόνυσον μόνον ἐκάλουν, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια Βάκχους ἐκάλουν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοὺς κλάδους, οὓς οἱ μῦσται φέρουσιν.* Nequaquam totam hanc disputationem doctissimam contemnendam esse conten-

dimus; attamen indicia quasi quaedam desideramus, quibus additis nec unde petitum sit καταβακχιοῦσθαι vocabulum, nec quo sensu forma eius accipienda sit, lateat; hoc dicimus: quum verbis in όω exeuntibus omnino significetur: *reddere aliquem talem, qualis voce, ex qua ducuntur, declaratur* (sic δουλόω, ἐλευθερόω, ὁσιόω, alia); καταβακχιοῦσθαι proprie debet valere Βάκχον γίγνεσθαι, eo sensu, quo scholiasta supra laudatus τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια Βάκχους nominatos esse affirmat; et hinc, quod non multo differt: *bacchantis partes agere, bacchantis modo se gerere, Bacchico more uti.* (Cfr. βεβαρβάρωσαι in Eur. Orest. v. 485 = barbarus factus barbaris moribus uteris). Quod quomodo perpetretur, δρυὸς ἢ ἐλάτας κλάδοισι verbis demonstratur, scilicet coronis querceis sive pineis capiti impositis. Simillimum verbi simplicis usum spectare licet in loco Sophocleo (fragm. 94) ab Elmsleio ad v. 109 laudato. Pinum Rheae certe sacram fuisse, cuius orgia cum Bacchi miscebantur, docet Preller I. p. 510. De quercus in sacris Bacchicis usu nihil habemus, quod afferamus, nisi huius fabulae v. 695.

Cum optimis editoribus e variis librorum vestigiis restituere placet στικτῶν τ' ἐνδυτά, quum ἐνδυκτάν Pal. cod. vitiosum, ἐνδυτὰν Aldinae editionis littera prima ν vocabuli sequentis adiecta ex ἐνδυτὰ depravatum esse videatur, ἐνδυτὸν denique nullo testimonio defendatur. — Multo difficilior quam de scriptura quaestio de totius loci sententia movetur. Hoc quidem neminem fugit, genitivis στικτῶν νεβρίδων positis materiem intelligendam esse, ex qua vestes illae conficiebantur, ut etiam ἐνδυτὰ σαρκὸς (v. 738) accipere fas est. Baccharum igitur indumenta erant pelles cervinae (Ovid. Metam. IV. 592) variis coloribus ornatae vel potius punctis insignes (cfr. v. 245. Eur. Alc. 583). Tales νεβρίδας i. e. νεβρῶν δέρματα (v. 690) ut λευκοτρίχων πλοκάμων μαλλοῖς

στέφειν animum inducant, Thebarum incolas chorus adhortatur. Ad haec Elmsleius: „Sensus haud dubie est *νεβρίδας ἐρίοισι στέφετε*. Quid sint *ἐριόστεπτοι κλάδοι* omnibus satis notum est; quid autem sint *ἐριόστεπτοι νεβρίδες* nemo monere operae pretium duxit.“ Qua expostulatione Hermannus motus est, ut interpretationem aptam excogitare studeret. „Nisi fallor,“ inquit, „pelles iubet conseri in pectore fascia lanea. Nam *στέφειν* proprie est *constipare, compingere, conserere*. Ita apud Aesch. Sept. 49. Eur. Hel. 1376.“ Contra haec A. Matthiae se vereri dicit, ne haec verbi *στέφειν* notio nullo loco comprobari possit, negans praeterea in locis ab Hermanno laudatis alia atque usitata opus esse explanatione, quae sit: *addere, appendere, quod ex parte certe cingat*. Accedit quod Hermannum ipsum fatentem audimus in operibus caelatis picturisque Baccharum pelles istas suis ipsarum partibus quibusdam prominentibus consertas conspici, non fasciis laneis, quales nimirum in thyrsis gerebant. Sed qui alteram explicandi viam obstruxit, A. Matthiae, alteram etsi non ipse patefecit, tamen Lobeckii sagacitate patefactam esse monstravit. Spectemus, quae de hoc loco attulerit vir doctissimus (ad Soph. Ai. p. 359). „*Μαλλοὶ πλοκάμων*,“ inquit, „significant penicillos, quibus veteres quoque suas distinguebant mastrucas. Memorabile est de hoc more Taciti testimonium de mor. Germ. 34: „Eligunt feras et de- „tracta velamina spargunt maculis pellibusque ferarum, quas „exterior pontus atque ignotum mare gignit.“ — „Ars est,“ inquit Ernestius, „pelles v. c. albas nigris maculis variegare.“ — Non dissimilis memoratur Budinorum mos, quorum in lacubus animalia capi ait Herod. IV. 109: *ὧν τὰ δέρματα περὶ τὰς σισύρνας παραῤῥάπτεται*, quamquam hic usus latius patet. Simili ratione probabile est Bacchas pelles lyncum, vulpium, damalarum interstinxisse, quae communi

nomine βασσάραι dictae sunt." — Haec hactenus; adiiciamus viri egregii disputationi prorsus a nobis probatae, quae, ut ad eam firmandam valeant, optamus. Primum floccos lanae albae ideo adhibebant, quod et albis maculis νεβρίδων στικτῶν varietatem augebant et lanae usus in omnibus rebus sacris pervulgatus erat. (Cfr. Preller I. p. 561). Itaque στέφειν fortasse hic ut καταστέφειν in Eur. Heracl. 125 notionem adiectam habet, qua in usum sacrum distingui pelles cingendo laneis floccis indicatur. — Tum haeserit fortasse aliquis in eo, quod verbis ut a nobis factum est enucleatis Bacchae ad opus quoddam artificiosum, in quo tempus longum consumere necesse sit, perficiendum deposcantur; tali enim invitationi in carmine satis turbido locum non esse. Id sane concedendum est a Bacchis iam ad orgia celebranda provocatis eiusmodi laborem suscipi non potuisse. Sed re vera scriptor chori nomine operam tantam non postulat; immo poëtico more loquens nihil aliud monet, nisi ut velleribus cervinis arte exornatis se induant (cfr. v. 689). — Denique cur in verbis λευκοτρίχων πλοκάμων μαλλοῖς adeo offenderint viri docti, ut ea mutare non cunctati sint, mihi non liquet; nihil omnino obstitit, quominus villos sive ovium sive caprarum poëta elegantius πλοκάμους diceret atque eorum partes μαλλῶν i. e. floccorum nomine notaret. Inesse sane videtur verbis abundantia illa similium notionum, qua tragicos praeter omnes poëtas delectatos esse docet Bernhardy p. 54 (cfr. Pflugk. ad Eur. Alc. 925). Quamobrem iam negligere licet quae proposuerunt Reiskius λευκοτρίχων ποκάδων (ovium) μαλλοῖς, Musgravius λευκοτρίχων πλοκάμοις μαλλῶν, dubitanter Elmsleius λευκοτρίχων προβάτων μαλλοῖς. — Frustra quoque in iis, quae sequuntur, ἀμφὶ δὲ νάρθηκας ὑβριστὰς ὁσιοῦσθ᾽· vocabulum extremum coniecturis θιασοῦσθ᾽ et ὀρσιοῦσθ᾽ (i. e. ἐγείρετε) Musgravius

2*

et Reiskius sollicitaverunt. Quod quomodo intelligendum sit, iam supra ostendimus. Nemo autem est, quin videat ὁσιοῦσθαι ἀμφί τι esse: rite se gerere quod attinet ad aliquam rem (cfr. Bernhardy p. 245); similem constructionem invenimus in Eur. Cycl. 125 ὅσιοι περὶ ξένους. — Recte a Barnesio totius loci sententia redditur: sanctis ritibus ferulas sumite. — νάρθηξ proprie est ferula, cava atque igni recipiendo apta, quamobrem Prometheum ναρθηκοπλήρωτον δὲ θηρῶμαι πυρὸς πηγὴν dicentem facit Aeschylus (Prom. 109). Quamquam a thyrso sive ex hedera (v. 25. 359. 703) sive ex alius arboris ligno fabricato νάρθηξ differt, Euripides discrimen neglexit eodem baculo, quod Cadmus manu tenet in v. 247 νάρθηκος, in v. 250 θύρσου nomine notato; immo νάρθηκα εὔθυρσον scripsit (v. 1149). — ὑβρισταὶ ferulae illae appellari videntur, — verbis utimur Elmsleii — quia ὑβρισταὶ habentur (atque ὑβριστικῶς se gerunt), qui eas gestant (cfr. v. 771). — Si punctum ponimus post χορεύσει enuntiata sic nectenda esse apparet: Statim postquam quae modo iussae estis, fecistis, toto terra i. e. Thebana choros agitabit. Quo facto quum nimis abrupta videatur oratio, nec quae sequuntur sententiam satis gravem exhibeant, si interpretamur: *Bromius est, qui choros ducit* —; malumus leviore distinctione admissa duas verborum comprehensiones proximas coniungere. Quod Hermannus dicit, ubi numeri mutentur et alia strophae pars incipiat, ibi convenientius esse etiam novae orationis initium fieri, et ita esse in antistropha; Matthiae exemplis ex Soph. Phil. allatis refutavit. Accedit, quod locum, ut vulgo legitur, ὅστις ἄγει θιάσους ab Euripide scriptum esse negamus, et quia libri (Pal. et Laur. a pr. m.) non ὅστις ἄγει, sed ὅτ' ἄγῃ praebent, et quia non adducimur, ut credamus ὅστις ita pro simplici ὃς ad Βρόμιος relatum usurpari posse. Dubitat enim de hac re A. Mat-

thiae et cautissime loquitur Krueger (I. §. 51. 8, 3), atque quod dicit semper aliquam certe qualitatis notionem inesse ὅστις pronomini, hoc firmatur, si quid video, exemplis et a Schoenio (Soph. Ai. 434. 1300) et a Musgravio (Eur. Alc. 659. Andr. 593) laudatis. Cur autem hic diceret poëta: Bromius talis est, qui cet.? Sic sententiarum nexus prorsus deleretur. At quum ὅστις non placeat, quid legamus? Nec ὅτ' ἄγῃ Kirchhoffii, nec ὅταν ἄγῃ Bothii metro antistrophae respondent. Refugiamus ad Elmsleii correctionem εὖτ' ἂν ἄγῃ. Sic omnia recte se habent et a librorum scriptura non longius recedimus, quam si ὅστις ἄγει scriberemus, quod Elmsleius veretur, ne metri caussa ex coniectura repositum sit. Altera Matthiaei et Fixii coniectura Βρόμιον, quod cum χορεύσει coniungunt, sic optime carere possumus. — εἰς ὄρος repetitum est ut v. 85. 155. ἴτε Βάκχαι, indicans orationis cursum incitatiorem. — θηλυγενὴς ὄχλος sunt mulieres Thebanae, quae ab opere solito abreptae in montibus bacchantur. Quae sequuntur verba facile ex libris (Pal. ἀμφ' ἱστῶν παρακερκίδων τ'. Laur. ἀφ' ἱστῶν π^ε κερκίδων τ'. Ald. ἀφ' ἱστὸν παρὰ κερκ.), ut plurimi editores fecerunt, restituuntur. Reiskio quidem ἀπὸ κερκίδων τ' placuit; „nam παρά," inquit, „notat caussam efficientem, quae hic erat Bacchus, non radii textorii." Non negamus a Baccho effici furorem illum Maenadum (cfr. v. 32); at videmus hic non παρὰ Διονύσου, sed dativum positum esse, quem cum verborum forma passiva coniunctum subiecti in activa usurpandi locum tenere docet Krueger I. §. 52. 5 et §. 48. 15, 3. Praeterea παρὰ praepositioni apud Homerum certe etiam vocabula res significantia adiiciuntur ita, ut eodem fere modo, quo ἀπὸ notet aliquid ab aliquo loco profectum esse (cfr. Krueger I. §. 68. 16, 2. II. §. 68. 34). Euripidem imitatus est Ovid. Met. IV. 9. οἰστρᾶν et similia (v. 974. 1221)

satis apparet ex *οἶστρος* petenda esse. Pecudes vero oestris agitatae cursus effrenati et fugae insanae exemplum praebent. Ideo hic *θηλυγενὴς ὄχλος* in montibus vagans *οἰστρηθεὶς* dicitur. —

v. 123 sq. In antistrophae initio exclamatio occurrit, quae quo tendat a se non intelligi fatetur Heathius, qui hac aliisque caussis motus scribere voluit: *Τῶν θαλάμευμα Κουρήτων ζάθεοί τε Κρῆτες Διογενέτορος ἐν αὐλᾷ* i. e. Curetum contubernium, divini Cretenses, Iovis genitoris in aula — — invenerunt cet. Non minus Reiskio displicuit exordium, quod vulgo legitur; studebat mederi orationi reposito *ᾧ* cui i. e. in Bacchi usum sive honorem invenerunt. — Ceteris ad tempus praetermissis ostendere iuvat similia exclamationis ad animi aut dolorem aut gaudium aliumve motum notandum usurpatae exempla in primis et Electrae Euripideae et Alcestidis et Andròmachae (ubi vid. Pflugk.) versibus inveniri, neque quidquam, quominus hoc quoque loco servetur, obstare. *Κουρήτων θαλάμευμα* habitatio, contubernium non multum videtur differre ab antris postea nominatis, sed omnino latius patens explicatur quodammodo vocibus, quae deinde leguntur, non solum *ἄντροις* dicimus, sed etiam *ἔναυλοι.* Quod si item *domicilium* putaremus esse oratio varietate neglecta parum grata esset; itaque comparato *αὐλῶνος* vocabulo melius ita interpretabimur, ut sit regio inter duos montes sita, vallis; nam neque quod olim nonnullis interpretibus comprobatum erat, qui *Διογενέτορος ἔναυλοι* aut: *Iove geniti incolae*, aut *Iovis genitoris incolae* vertebant propter sententiam ab hoc loco alienam defendi potest, nec Reiskium sequi possumus, qui cum *σύναυλοι* permutans *ἔναυλοι* hoc *sub concentu tibiarum* valere affirmat. — De scriptura libris collatis (Pal. *κρῆτας*; Laur. *κρῆτᾶς* Ald. *Κρῆτες*; Strabonis codices varia praebent) dubitare vix fas est.

Profecto enim Elmsleius rectissime vidit κρῆτας inter duos nominativos plurales facile in κρῆτες mutari potuisse; „nec male," inquit, „legeretur Διογενέτορος (quod exstat in Strabonis cod. B);" sic enim substantivis suum cuique epitheton additum esset. Libris vero iubentibus Διογενέτορες praeferamus, quod Elmsleius, quum γενέτωρ genitor et γενέτειρα genitrix analogiam aptam praebeant, magis activo quam passivo sensu accipiendum esse docet. Propter id ipsum, quod Iovem procreaverunt, Cretae valles ζάθεοι dicuntur. Iam fabulam, quam hic attigit poëta, spectemus. Iuppiter modo natus a Rhea matre, ne eadem qua ceteri liberi sorte usus a patre devoraretur, timente Curetibus Cretensibus traditus esse narratur, qui iuvenes (Κουρῆτες et κοῦροι cohaerere videntur) armati pyrrhicha i. e. saltatione armata clipeos gladiis ferientes effecerunt, ut vagitus pueri in antro quodam occulti a Saturno audiri non posset. (Cfr. Preller. I. p. 103. 514.) Plura cognoscas licet ex Strabonis verbis (lib. X. c. 3. p. 469) a Bothio adscriptis. Praeter Curetas hoc loco Corybantium mentio fit, qui quum illi Cretenses et Iovis ministri fuerint, Lydiae et Phrygiae atque Rheae Cybelae attribuendi sunt. Hi quoque saltatione gaudebant, sed nequaquam pyrrhicha, maxime autem inventis instrumentis quibusdam musicis iisque summum strepitum moventibus insignes erant; quorum in numero praeter tympanum, quod statim commemorabitur, cymbalum et a nonnullis tibia Phrygia nominatur. Quomodo autem deae, Rheam Cretensem dicimus et Cybelen, eadem ratione ministri eorumque opera confundebantur, quod praeter hunc locum optime illustratur versibus Ovidii Fast. IV. 207 sq. (Cfr. Preller. I. p. 516.) — Verba ἔνθα τρικόρυθες ἄντροις, metro apta, quae a Musgravio pro Aldina lectione etiam in Strabonis editionibus expressa τρικόρυθές τ' ἐν ἄντροις ex B. C. G. codicum vesti-

giis, qui habent ἔνθα τρικόρυθες ἐν ἄντροις, restituta sunt, servamus, coniecturis reiectis et Brunckii, qui dedit τρικόρυθές γ' ἵν' ἄντροις, quia metro repugnat, et Schoenii vel potius Dobraei (cfr. Fixii adnot. crit. ad v. 123), qui scripserunt τρικόρυθες ἔνθ' ἐν ἄντροις, quia sic τρικόρυθες in prima sede collocatum nimia vi praeditum videtur esse. — Dativi (ἄντροις) sine praepositione a poëtis tragicis de loco usurpati exempla affert Krueger (II. §. 46. 2). — Corybantes τρικόρυθες dicuntur non quod re vera tribus galeis instructi erant, sed — Lobeckii verbis utimur (ad Soph. Ai. p. 358) — ob triplicem galeae marginem, qui trium galearum superimpositarum speciem reddebat. Efficiebatur autem margo ille „clavulis in fronte galeae positis et continuatione ad laminae speciem productis.“ Qui explicandi modus multo praestat alteri Musgravii, quo ad τριλοφίαν i. e. genus galeae tribus cristis insignitum, ducibus tribunisque, ut videtur, proprium relegamur. Hoc quoque epitheto Corybantium et Curetum confusionem indicari putamus; nam κυρβασίαι, quas capitis tegumenta Corybantas habuisse Lobeckius affirmat, certo non galeae, sed tiarae fuerunt (vid. Herod. V. 49, 7, VII. 61, 2); Curetas contra galeis indutos fuisse constat. — βυρσότονον κύκλωμα Eustathii verbis ab Elmsleio laudatis (p. 771. 54 ἐκεῖ εὑρέθη αὐλὸς καὶ τύμπανον, ὃ βυρσότονον κύκλωμα Εὐριπίδης καλεῖ) edocemur esse tympanum, quod re vera est circulus corio inductus (cfr. Eur. Hel. 1347). — τόδε i. e. quod in manibus habeo, ideo adiectum videtur, quod βυρσότονον κύκλωμα non vulgaris tympani appellatio fuit. — μοὶ quasi abundans delere voluit Reiskius aut cum τόδε coniunctum pro τόδε ἐμὸν positum accipere. Nobis est simplex dativus commodi, explicandus: *in meum usum* sc. invenerunt. —

v. 129 sq. Pervenimus ad locum, qui a libris tam cor-

ruptus traditus est, ut nemo fuerit interpretum, qui in eorum verbis acquieverit. Aldina reliquaeque veteres editiones, a quibus cod. Pal. discrepare non videtur, habent: ἀνὰ δὲ βακχείῳ συντόνῳ κέρασαν ἡδυβόα Φρυγίων αὐλῶν πνεύματι (sine sensu, ut A. Matthiae ait); Laur. incertum βακχεία an βακχία; Par. G. βακχία; Strabo denique: ἀνὰ δὲ βακχείῳ συντόνῳ κέρασσ' (al. κέρας) ἀνὰ δύο βοᾶν (al. βοὰν) φρυγίων αὐλῶν πνεύματι. Quibus comparatis nobis quidem vitium praecipuum in vocabulo βακχεία, quum et metro adversetur et cuius explanatio apta inveniri non possit, inesse probabile est. Variis modis viri docti lectioni mederi studuerunt; Brodaeus legit: ἀνὰ δὲ βακχείᾳ — — — ἡδυβόᾳ, quod dicit esse σὺν τῇ βακχείᾳ ἀνεκέρασαν. Barnesius et Portus βακχείᾳ servaverunt; Portus praeterea βακχείαν σύντονον scribens φωνὴν addi iussit, qua in re Heathius et Brunckius ei assensi sunt. Reiskio placuit βακχείῳ (sc. πνεύματι) aut βακχείαις, ut constructio sit: συνεκέρασαν πνεύματι αὐλῶν Φρυγίων (i. e. tibiis Phrygiis) συντόνῳ (ἐν) βακχείαις. Quae omnia vel aliis caussis neglectis propter metrum ferri non possunt, quum in sede secunda versus Glyconii dactylus strophico ἐνδυτὰ respondens desideretur. — Musgravius Aldum secutus tamen „legendum, ni fallor,“ inquit, „βάκχικα (vel potius βακχικά) subintelligendo ὄργια sive ἱερά;“ et paullo post: „ἡδυβόα legendum puto cum Barnesio ἡδυβοᾷ (sic), sive id casu in Barnesianae contextum venit sive aliter.“ — Sed re vera mirum eloquendi genus esset, quo sacra Bacchi cum suavi tibiarum sono misceri dicerentur. Βάκχια A. Matthiae quoque recepit, quem laudans Elmsleius: „Tandem,“ inquit, „veram scripturam metro quoque necessariam protulit Matthiae. Idem valet ἀνὰ δὲ βάκχια quod ἐν βακχίοις.“ Quam explicationem duo adversarii acerrimi Hermannus et ipse A. Matthiae reiiciunt. Atque

Hermannus quidem, postquam τὰ Βάκχια Bacchanalia esse non posse, quippe quae potius τὰ Βακχεῖα essent, optime demonstravit, omnino huic loco sacrorum Bacchi commemorationem aptam esse negat. „Vide enim,“ haec eius sunt verba — „quid Elmsleii interpretatione admissa dicat chorus. In Creta, inquit, Corybantes invenerunt tympanum, idque in sacris Bacchicis Phrygia tibia temperatum dederunt Rheae, a qua acceptum Satyri sacris Bacchi adhibuerunt. Itane vero? Num Satyri ab Rhea accipere tympana et in sacra Bacchi inferre potuerunt, si ea iam usitata in his sacris erant, priusquam illi ea acceperant ab Rhea? Repugnant haec; nec tantum repugnant, sed continent etiam, quod plane falsum est. Neque enim Corybantes tympana Bacchi sacris invenerunt ac tum dederunt Rheae, sed Rheae gratia fabricati sunt, quo ne Saturnus vagitum Iovis audiret.“ A. Matthiae autem, se male intellectum ab utroque viro docto non iunxisse ἀνὰ βάκχια, sed ἀνεκέρασαν δὲ βάκχια sc. ᾄσματα vel μέλη affirmat, et τὰ βάκχια ut τὰ ἐπινίκια, τὰ ἐπιθαλάμια, similia usurpari posse credit. Tmesin igitur statuit, quam Hermannus quidem imperite factam nominat, si vocabulum sequatur, cum quo, qui haec recitari audiat, facilius quam cum verbo (κέρασαν) praepositionem construat; sed hoc certe argumento A. Matthiae non motus est; quae enim addidit: „Imperite igitur Euripides supra v. 80 scripsit ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων“ — haec per irrisionem dicta esse apparet. Nobis eiusmodi tmesin tolerandam esse exemplis a Kruegero (II. §. 68, 48. 4) allatis satis constat, quam sententiam Schoenius quoque amplectitur. Sed antequam alia in medium proferimus, Hermanni consilia perspiciamus, qui aliis coniecturis, quas ipse excogitavit, reiectis summopere Βακχάδι scribendum commendat; in reliquis nihil mutat, nisi ἡδυβόα, pro quo ἡδυβόᾳ ponit. Habet igitur vir doctissimus haec:

ἀνὰ δὲ Βακχάδι συντόνῳ | κέρασαν ἡδυβόᾳ Φρυγίων | αὐλῶν πνεύματι, quorum hunc sensum esse debere asseverat: „Temperarunt tympana concordante Bacchico Phrygiarum tibiarum spiritu.“ — Nihil impedit, quominus *συντόνῳ*, etsi primo loco et saepissime est: *contentus, acer, acutus*, tamen de *concinente* et *concordante* accipiamus, quam interpretationem certe verbis *σύντονα τοῖς σοῖς γράμμασιν αὐδῶ* (Eur. Iph. Aul. 118) defendi putamus, quum ceteris locis ab Hermanno collatis minus apta videatur. Etiam hoc concedamus, *Βακχὰς* voci significationem a viro doctissimo constitutam, quae est: qui Bacchico furore plenus est — tribuere licere, quamquam *Βακχιὰς* simillimum et *Βακχὶς* praecipue de Bacchi comitibus usurpantur. — Constat praeterea grammaticorum auctoritate formam *Βακχάδι* femininam recte consociari cum neutrius generis nomine *πνεύματι* (cfr. Bernhardy p. 50 sq., Pflugk. ad Hel. 1301). — Sed Hermannus ipse: „*Βακχὰς* quo exemplo firmem,“ inquit, „non habeo.“ Quae quum ita sint, nemo ut id, quod nusquam legitur,)fide dignum a nobis iudicetur, postulet. — Accedunt leviora quaedam argumenta, quibus non gratam censendam esse Hermanni scripturam demonstratur. Primum enim desideramus accusativum rei, quae misceatur sive quae temperetur Bacchico illo spiritu; nam non facile ex verbis superioribus *τύμπανα* vel, quod A. Matthiae merito praefert, *κτύπον τυμπάνων* intelligetur. Deinde minus placent epitheta tria in vocem unam (*πνεύματι*) congesta. — Restat, ut quae Schoenius proposuit: *ἀνὰ δὲ βάκχια συντόνων κέρασαν ἀδυβοᾶν Φρυγίων αὐλῶν πνεύματα* — examinemus. Mutavit *ἡδυβόα* et *πνεύματι* atque verti iussit enunciatum: Miscuerunt (sc. tympano vel sonis tympani) Bacchicos spiritus acutarum (aut concordantium) dulcisonarum Phrygiarum tibiarum. Quae modo contra Hermannum disputavimus, etiam contra

Schoenium paullo mutata valent: dativos inviti deesse videmus, epitheta in *αὐλῶν* voce coacervata displicent. Praeterea si Schoenius, de qua re tacet, *συντόνων* maluit esse: acrium, acutarum quam concordantium; huius adiectivi notionem cum alterius *ἀδυβοᾶν* pugnare apparet. Tamen haec ferri possunt neque dubitamus, quin *βάκχιος* translata notione, ut sit: *Bacchico modo excitans* aut omnino: *divino instinctu tangens* usurpare liceat (cfr. Soph. Trach. 220 *βακχίαν ὑποστρέφων ἅμιλλαν*). — Quod si concedatur, nobis non ineptum videtur refugere ad hanc scripturam non multum a libris recedentem:

ἀνὰ δὲ βάκχια συντόνῳ
κέρασαν ἀδυβοᾶν Φρυγίων
αὐλῶν πνεύματι,

quam ex parte A. Matthiae secuti reddimus: *Bacchicos* (i. e. Bacchicum quid et multae concitationis plenum sonantes ideoque divino instinctu tangentes) *clamores miscuerunt concordanti spiritui dulcisonarum Phrygiarum tibiarum*; ita ut ex superioribus nihil repetendum sit et ad tympani tibiarumque sonum novum strepitus genus adiiciatur, clamores vocis humanae dicimus; quae omnia nimirum sic intelligenda sunt, ut pars Corybantium clamare, pars tibiis canere credatur. Talia in Bacchicis certe sacris usitata fuisse cognoscimus ex Ovid. Met. IV. 28 sq., III. 532—6., VI. 589. 597. Ex Strabonis verbis supra indicatis huc pertinent haec: *μετὰ τυμπάνων καὶ τοιούτων ἄλλων ψόφων* (intellige cymbala) — — *καὶ θορύβου* (quod vocabulum saepissime de hominum clamore usurpari constat). Videas etiam v. 160: *ἐν Φρυγίαισι βοαῖς ἐνοπαῖσί τε.* — Quod si cui vocabuli *συντόνῳ* interpretatio nostra minus probetur, is *συντόνῳ πνεύματι*: *acri spiritui* vertens *ἀδυβοᾶν* ita dictum esse existimet, ut sonum non tam auribus quam animis (sc. eorum, qui

orgiis delectantur) dulcem sive gratum significet. — *ἁδυβοᾶν* scribimus non *ἡδυβοᾶν*, cum Elmsleio, Kirchhoffio, Schoenio, Nauckio, quamquam Hermannus hoc Dorismo Euripidem propter duplex *α* in hac voce usum esse negat, confisi Strabonis librorum verbis corruptis *ἀνὰ δύο βοᾶν*. — Quibus parem fidem non habemus in versu sequenti, ubi pro Aldinae lectione *κτύπον ἔν τ᾽ ἄσμασι Βακχᾶν* (B et C a pr. m. *ἐν ἄσμασι*, C a sec. *ἔν τ᾽ ἄσμασι*) praebent *καλλίκτυπον εὔασμα Βακχᾶν*. Musgravius ut illud *καλλίκτυπον* servaret, audacter hanc mutationem proposuit: — *πνεύματι, θῆκάν τε Ῥέας εἰς χέρα καλλίκτυπον εὐάσμασι Βακχᾶν*, ita alteri quoque vitio occurrens, quod in *ματέρος* vocis post brevissimum intervallum invenuste factam repetitionem inesse opinatur. Quam coniecturam et Brunckius et A. Matthiae receperunt; sed hic in commentario hoc a se factum esse se ipsum mirari dicens Canteri emendationem a Barnesio, Elmsleio, Hermanno, Kirchhoffio, Schoenio, Nauckio probatam (*εὐάσμασι* pro *ἔν τ᾽ ἄσμασι*) defendit. Subiectum totius enuntiati longius repetendum est tympanum, et verba *Ῥέας εἰς χέρα θῆκαν* optime illustrantur Rheae imaginibus, in quibus eam tympanum manu gerentem conspicimus. Quae sequuntur *κτύπον εὐάσμασι Βακχᾶν* praedicati locum tenent et explicanda sunt: *ὥστε εἶναι κτύπον* i. e. efficientes, ut tympano strepitus clamoribus laetis Baccharum aptus ederetur. —

Iam poëta progreditur in hac tympani, quae videtur, historia narrans, quomodo ad Bacchi tandem orgia translatum sit. Satyri furentes, inquit, *παρὰ ματέρος ἐξανύσαντο θεᾶς*. — Quae optime Brunckius explicavit scribens: „A Matre Magna furentes Satyri impetrarunt, ut sibi tympanum concederet. *ἀνύσασθαί τι παρά τινος* est: opera aut precibus aliquid ab aliquo consequi. Theocr. Idyll. 5. i. f. Aesch. Prom. 706.“ — Omnes mutationes a viris doctis commenda-

tae nihil faciunt ad locum sive elegantiorem sive dilucidiorem reddendum, id quod neminem fugit, qui perspexerit Brodaei coniecturam *θέας spectacula*, quae ex falsa illa verbi ἐξανύσαντο interpretatione *peregerunt*, qua admissa orgia intellexerunt, profecta est; aut lectionem a Musgravio propositam ματέρος ἐξάνυσαν τελέτας, in qua maxime ματέρος vocabulum pro matris magnae appellatione simpliciter usurpatum offendit. Quod vero Hermannus scripsit ex Strabonis libris Ῥέας pro θεᾶς, ea invenusta repetitio videtur. — Tympanum a Cybele acceptum Satyri εἰς χορεύματα συνῆψαν (Strabonis libri προςῆψαν) τριετηρίδων, quo in enuntiato pro dativo praepositionem εἰς propter motus notionem, quae in verbo inest, cum συνάπτειν coniunctam videmus. τριετηρίδες sc. ἑορταὶ erant dies festi tertio quoque anno in honorem Bacchi non solum, sed etiam Neptuni et Iunonis acti; hoc loco nimirum ad Bacchi sacra referri vocabulum oportet (cfr. Schoemann, griech. Alterth. II. p. 478). Diodorus Siculus (IV. in.) Trieterica in Indicae Dionysi expeditionis triennio confectae memoriam apud Thracas (Ovid. Met. VI. 587) primum et Thebanos (Virg. Aen. IV. 301) a deo instituta esse narrat (Cic. de nat. deor. III. 23). — Recte Hermannus in extremo antistrophae versu videtur αἷς ex Strabonis libris pro οἷς vulgata lectione admisisse, „ut quo efficiatur,“ inquit, „ne τριετηρίδων supervacaneum sit.“

v. 138 sq. In epodo poëta descriptionem orgiorum praebet, qualia ipso deo ducente in montibus a Bacchis celebrari solebant. Bacchum vero ducis munere fungentem fingi satis apparet ex iis, quae leguntur inde a v. 147 vel potius a v. 144. Sed dubitari potest, utrum in superioribus quoque versibus de Dionyso sermo fiat, an verba, quae in vv. 138—43 inveniantur, de comite quodam, qui colat et sectetur deum, accipienda sint. Si Fixium sequi liceret,

qui puncto, quod vulgo post Διόνυσος reperitur, deleto antistropham et epodum artissime iunxit, omnia sine dubio ad Dionysum pertinerent; sin autem coniecturae aut Hermanni, qui scripsit ὅς τ' ἄν, aut Schoenii, qui edidit ὃς ἄν, aut Musgravii, qui postea pro πέσῃ πεδόσε, νεβρίδος ἔχων legendum esse censuit πέσῃ πεδόσ', ὁ νεβρίδος ἔχων nobis placerent, nos toto loco de dei cultore chorum loqui affirmare oporteret. Quae omnia nobis quidem non arrident; primum enim Fixius, quod recte Hermannus videtur postulare, epodum nova atque integra sententia debere incipere, prorsus neglexit, quamvis hanc regulam non ita intelligamus, ut nullo pacto neque notiones ex superioribus petere, neque verba artioribus vinculis iungere iubeamur. (Cfr. v. c. γὰρ particula in Soph. Oed. Col. 1239; ἀλλὰ particula in Soph. Ai. 194 et 877). Deinde quae Hermannus proposuit, profecta esse patet ex falsa totius loci interpretatione, quam sic expressit: „libenter est in montibus, quum in aequore campi venatur.“ Talia si legerentur, sine dubitatione ad viri doctissimi sententiam accederemus, qua repugnantiam his in enuntiatis conspicuam tollendam esse censet. Quod vero contendit de Baccho sermonem esse non posse, quia paullo post scriptum sit ὁ δ' ἔξαρχος Βρόμιος εὐοῖ — non enim, ubi idem nominetur, ipsum sibi opponi posse; recte A. Matthiae eodem iure dici monet, verba ὁ δ' ἔξαρχος Βρ. non posse ad Bacchum pertinere, quoniam (v. 131) sequatur ὁ Βακχεὺς δέ —; i. e. plurimum interesse, quo referatur particula δέ. Neque vero plus ponderis habet, quod Hermannus affirmat a choro sortem Bacchi cultorum praedicente dici debere bene iis in montibus, bene etiam in campis esse. Quibus praemissis verba, de quibus agitur, sic vertit: „Laetitia plenus est, in montes, quique ex velocibus thiasis in campos se contulerit,“ addens pronomen, ut copula

indicet, semel positum esse, quum proprie bis poni debuerit: *ἡδύς, ὃς ἐν οὔρεσιν, ὅς τε πέσῃ πεδόσε.* Primum haec ipsa pronominis repetitio totam rem suspectam reddit; vix enim exempla afferantur, quibus doceamur ex iis, quae sequantur, arcessendum esse relativum ad ea, quae antecedant. Deinde *πεδόσε* nusquam valet: *in campos*, sed *in solum*, *in humum* (cfr. v. 593). Denique *πίπτειν* verbo simplicem se conferendi notionem tribuere non licet; nam *πέσωμεν ἐνὶ νήεσσι* (Hom. Il. 13, 742) et *πεσὼν ἐν βουσί* (Soph. Ai. 375), quae hoc loco propter *ἐν οὔρεσιν* optime comparantur, hostilem impetum in eas res, quae in dativo casu positae leguntur, notant; aut ut in illis *πέσεν ἐν κονίῃσιν* (Hom. Il. 13, 205) significatur prolapsum aliquem in pulverem ibi prostratum manere; quae omnia huc non pertinent. Quibus perpensis prorsus nihil est, quo ut assentiamur Hermanno impellamur. Ad Schoenii autem sive Musgravii coniecturas, quarum neque in ratione grammatica verborum, neque in significatione nos non haerere concedimus, tum demum refugiendum erit, quum ex vulgata lectione, quae est *ἡδὺς ἐν ὄρεσιν* (*ὄρεσσιν*), *ὅταν ἐκ κτλ.*, nullo modo sanam sententiam elici posse cognoverimus. Iamiam neminem fugit toto loco descriptionem eorum, quae deus ipse peragat, factam esse nos credere. Verba autem Latine sic exprimenda sunt: Suavis est (sc. Dionysus), quando in montibus ex thiasis velocibus concidit (vel se proiicit) in humum; aut ut explicatius dicamus: Suavem praebet aspectum Dionysus, quando in montibus derelicta comitum turba, cum qua modo bacchabatur, prolapsus humi cernitur. Repetimus igitur ex superioribus *Διόνυσος*, adiicimus *ἐστίν*, quo interpretandi modo quid simplicius excogitari possit, non videmus. Similiter sententias strophae et antistrophae secundae inter se conexas esse luce clarius est; nam ibi quoque vocabulo extremo strophae *τὸν*

Βρόμιον poëta sibi transitum ad novas quasdam res satis diversas a prioribus parat. Sed quaesiverit fortasse quispiam, cur suavis dicatur Bacchus iis, quae enumerentur, peractis. Nonne suavissimum debet esse Bacchi cultori spectaculum, quum viderit deum participem omnis comitum laboris, laetitiae, effrenatae licentiae? Hoc ipsum enim Dionysum prorsus parem Maenadibus se gerere praesentis participiis, quae sequuntur, declaratum nobis videtur. Praeterea noli dubitare credere deum ipsum interdum ducem fingi thiasorum, quum alibi (in v. 675) mulieres nominentur; praeter ea, quae postea occurrunt, conferas v. 574. — Accedamus ad singula: in initio carminis levissimum distinctionis signum aut post *ἡδύς*, aut post *ὄρεσσιν* positum sententiam quidem non mutat; aptior tamen eius locus post *ἡδὺς* videtur esse. — *ὄρεσσι* ut in v. 76 scribimus cum Elmsleio, ut primus versus ex duobus paeonibus constet, quod metrum saepius in epodo invenitur. — *δρομαῖοι* nominantur thiasi, quia cursu incitato per montes feruntur (cfr. v. 719. Eur. Hel. 1319. Alc. 244). Pro Aldinae verbis *πέσῃ πεδόσε* Pal. habet *πεύσῃ* (littera *υ* puncto notata) *πεδός σε*, „unde nihil extrico," adiicit Elmsleius. Coniecturis Reiskii, qui maluit *πεδόθε* i. e. ex agro plano et humili, et Musgravii iam antea commemorata, qui praeterea proposuit *ἦδος* (voluptas in montibus i. e. magna, eximia voluptas) optime nos carere possumus. Neque quidquam moramur Musgravium descriptionem hic a choro adornatam satis cohaerere negantem ideoque gravissimam hanc mutationem suadentem — *ἀρτύων | αἷμα τραγοκτόνον, ὠμόφαγον* (sic) *χάριν | ἱέμενος ἐπιχαρέα Φρύγια, Λύδια* i. e. apparans caedem hirci, crudivoram voluptatem, modulans laetos sonos, Phrygios, Lydios. Omnia enim bene se habent, si nostra demonstratione probata memineris temporum rationem accuratam non debere postulari, quum hic

generaliter et poëtice ab Euripide totam rem tractari apertum sit. ἔνδυτον pro ἐνδυτὸν apud Matthiaeum et Schoenium deprehendimus; mendum esse ducimus (cfr. v. 114, ubi uterque ἐνδυτὰ habet); neque aliter de lectione ἀγορεύων cod. Pal. et Laur. a. pr. m. iudicamus. — Ad αἷμα τραγοκτόνον adnotat Elmsleius αἷμα hic φόνον significare, ut praeterea in Eur. Orest. 284. 833 (ubi vid. Klotzium) 1039. 1139. 1619. Iphig. Taur. 375. Cycl. 127. — Bacchas autem et capros et alia pecora venatas esse et diripuisse cognoscere licet ex huius fabulae vv. 725 — 39 (cfr. κύνες in v. 723. 972). Ex Apollodori narratione (bibl. III. 5. 2), neque minus ex fabulis de Orphei (Ovid. Met. XI. in.) et Penthei morte ne hominibus quidem eas pepercisse apparet. Capri autem et caprae „Baccho omnibus aris caedebantur" teste Virgilio Georg. II. 380; qui non aliam ob culpam id fieri docet, quam quod viti noceant. (Cfr. tamen Preller I. p. 561). Vescebantur quoque carne caprina comites Bacchi eaque cruda, quo spectant verba ὠμοφάγον χάριν. Pro his complures editiones et teste A. Matthiae codd. Flor. 1. 2 praebent ὠμοφάγων χάριν i. e. voluptatem eorum, qui carne cruda vescuntur. Quibus receptis quamvis nec sententia inepta sit, nec metrum mutetur, tamen alteram lectionem, quae usui tragicorum magis respondeat, praeferimus. Solent enim poëtae substantivis adiectiva ita addere, ut in unam notionem cum illis coalescant, cuius moris exemplum in verbis αἷμα τραγοκτόνον exstat (cfr. Bernhardy p. 426). Si vocabula hoc modo coniuncta pedestri oratione explicare studemus, saepissime genitivus substantivi, cui similis potestas inest, adiectivi loco positus sententiam colore mutato recte reddit. Sic pro verbis χαρμοναῖσιν ἀνδροβρῶσιν (Herc. fur. 384) Pflugkius χαρμοναῖσι βορᾶς ἀνδρῶν vel ἀνθρωποφαγίας declarans adscripsit; hic quoque recte pro ὠμοφάγον χάριν substituere

licet ὠμοφαγίας χάριν i. e. voluptatem, quam aliquis ex crudis carnibus comesis capit. — Elmsleius multa ad hunc locum attulit, quibus Bacchas eiusmodi epulis delectatas esse eluceat. Plura de ὠμοφαγίᾳ et Dionyso ὠμηστῇ invenies apud Prellerum I. p. 542. 544. — ἱέμενος idem atque ὁρμώμενος. — Φρύγια, Λύδια vocabula per asyndeton posita, tamen artissime propter significationem coniuncta sunt; et in Phrygia et in Lydia sacra Bacchi frequentissima celebrabantur. — Elmsleius ad marginem scripsit Λύδια θ', hiatus vitandi caussa. Sed recte Hermannus: „Apertum est,“ inquit, „in pronunciando pausam fieri debere post Λύδια, quum numeri huius versus non possint cum sequentibus numeris continuari; haec pausa facile admittit hiatum.“ Reiskii coniectura — — Φρύγια αὐδᾷ· ὅδ' ἔξαρχος, quae convertenda est: clamat, hic est (i. e. ego sum) Bromius, euoë! carminis sonus concitatior extenuatur. Optime enim, quae sequuntur, sic accipi putamus, ut exclamationis interpositae locum teneant: *Bromius dux, euhoë!* — quam ut emittat chorus imagine orgiorum adumbrata, quae velut in rem praesentem perducere audientes videatur, impellitur. Quod alii maluerunt: Dux est Bromius, euhoë! non minus verbis respondet, sed languidius est. Prorsus vero a loci sententia abhorret, quod Hermannus probavit: ὃ δὲ (sic), ὁ Βρόμιος, ἐξάρχεται τοῦ εὐοῖ λέγειν. — De ὁ δὲ vocabulorum usu apud Atticos rariore, quo subiectum enuntiati antecedentis notatur, non novum introducitur cfr. Bernhardy p. 310. Kruger I. §. 50. 1. 4 et ad Xen. Anab. 4, 2. 6. — ἔξαρχος vocem bene illustravit Elmsleius loco Demosthenis (de corona 516. B.) laudato, ubi iunguntur ἔξαρχος καὶ προηγεμών; significatur is, qui choro dux praeest. —

v. 145 sq. Sequitur miraculorum, quae in Bacchi sacris fieri credebantur, descriptio; plenior sane in huius fabulae

vv. 697—704 et 750 sq. datur. Similia leguntur apud Horatium, carm. II. 19, 9 sq., in Plat. Ion. p. 514. A. — Eiusmodi autem prodigiis, quae artis opera efficere solebant, Bacchi sacra plebis animis maxime commendabantur. Verba ipsa in memoriam revocant locum Exodi 3, 8. LXX. εἰς γῆν ῥέουσαν γάλα καὶ μέλι. ῥεῖν et cum genitivo (Krueger I. §. 47, 16. 8) et a poëtis cum dativo (Krueger II. §. 47, 16. 5) et cum accusativo (Bernhardy p. 110) coniungitur; itaque νέκταρ Pal. cod. leges grammaticas non laedit; tamen νέκταρι propter ceteros dativos certo praestat; item vulgata Συρίας Pal. scripturae Συρείας, quae alibi nusquam occurrit, anteponenda est. — Reiskius: „Sic digerendi et scribendi sunt versus," inquit: Συρίας δ' ὠλιβάνου καπνὸς | (olibanum est idem atque thus) ἐκ νάρθηκος ἀΐσσει. | ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων | πυρσώδη φλόγα πεύκας | δρόμῳ cet. Cui coniecturae, quippe quae impedimenta duo uno quasi impetu perfringeret, assentiri non dubitaremus, si, quin alio modo totus locus explicaretur, fieri non posset. At ne iudicium specie falsa capti videamur tulisse, neque ulla librorum auctoritate scripturam illam defendi, neque usquam a nobis certe ὠλιβάνου formae [1]) vestigia reperta esse fateri decet. Accedit quod verba nihil omnino habent, quod enucleari non possit. Neque vero eorum consilium audiatur, qui simplex ἐστὶν intelligendum esse contendunt, quo facto oratio satis ieiuna redditur. Utitur enim poëta hic illo βραχυλογίας genere, quod a nonnullis comparationis compendiariae nomine notatum in eo cernitur, ut omittatur alterum comparationis membrum, quo quid comparetur, definitur. (Cfr. Bernhardy p. 455. Krueger §. 48, 13. 9). Ergo hoc loco plenius scribendum est: καπνὸς δὲ

---

[1]) Pharmacopolae nimirum scribunt: Olibanum (i. e. fortasse oleum libani) Indicum. Sed succurramus Reiskio cum libris legentes ὡς λιβάνου.

ὡς Συρίας λιβάνου καπνὸς — ἀναφέρεται sc., aut *καπνὸς ὅμοιος τῷ τοῦ Συρίας λιβάνου καπνῷ.* — Si *Συρίας* malumus esse adiectivi quam substantivi genitivum,' quo, unde tus proficiscatur, indicetur, *λιβάνου* vocabulo genus femininum attribuendum est. Omnino autem *λίβανος* i. e. frutex turifer *λιβανωτοῦ* i. e. turis ipsius hic locum tenet. Denique cave Syriam credas esse patriam turis, quod aut ex India aut ex Arabia felici vel potius ex Saba in illam demum terram allatum esse satis constat. (Videas Wineri biblisches Realwörterbuch II. 681) A Graecis vero Syrium hoc suffimentum nominari poterat, quia e Syriis sive Phoeniciis portubus advehebatur. „Verba, quae sequuntur, in Laur. cod. a pr. m. sic disposita sunt: *ὁ βακχεὺς δ' ἔχων πῦρ: ἐκ νάρθηκος ἀΐσσει. | πυρσώδη φλόγα πεύκας.* Corrector *πῦρ* delevit, transpositionis notas *β, α* addidit.“ — Quaeritur, quomodo verba coniungenda sint. Barnesius *ἀΐσσει* transitive putat adhibitum esse et vertit: *ex ferula emicare facit.* Quam explicationem reiecta Piersoni coniectura *αἰθύσσει* Musgravius probans haec adiicit: „Videntur Bacchantes taedas suas non manibus prehensas, sed ferulis insertas gestasse.“ Primum quidem non infitias imus *ἀΐσσειν* cum accusativo coniungi (cfr. Bernhardy p. 110) atque ita legi v. c. in Eur. Orest. 1429, ad quem locum plura exempla collegit praeter Porsonum Klotzius, qui interpretatur: *movendo excitare.* Attamen non omnes difficultates sublatas esse apparet. — Quid enim excitat movendo Bacchus aut quid ut emicet, efficit? Respondes: *πυρσώδη φλόγα πεύκας*, et sic *ἐκ νάρθηκος* quidem verba bene se habent; nam ex ferula flammam emicare recte dicemus, cum si taedas ferulis insertas cogitaverimus, tum si eo, quo postea explicabimus modo, verba acceperimus. Quale autem iudicium de *ἔχων* participio feremus, quum nullum reliquum esse videamus vocabulum, quocum construatur?

Poteris addere accusativum *νάρθηκα* ex *νάρθηκος* repetendum, id quod gravissime languere neminem fugit; neque multum in melius mutaveris, si *πυρσώδη φλόγα πεύκας* cum *ἔχων* coniunxeris. Accedit, quod moris illius, quo taedas in ferulis insertas bacchantes gestasse aiunt, nullum exemplum a viris doctis allatum videmus. Denique A. Matthiae suo iure haec scripsisse credimus: „*ᾁσσει* recte Heathius vertit: impetu fertur. Solemnis mentio discursitationum Bacchicarum; ignis vero quassando concitati tamquam rei primariae commemoratio, quae inest in *ᾁσσει φλόγα* paullo frigidior.“ — Revocamur igitur ad alteram interpretationem, quam praeter alios Schoenius tuetur, quippe qui *ἐκ νάρθηκος* cum *ἔχων* conecti iubeat et *ᾁσσει* intransitive positum esse affirmet. — Heathius hanc sententiam verbis ita redditis expressit: „Bacchus habens rutilantem flammam facis ferulae affixam (vel e ferula pendentem) impetu fertur.“ — Quae quum nobis non omni ex parte satis dilucida videantur, ut accuratius explicemus et argumentis confirmemus, nunc operam dabimus. Atque primum quidem apud omnes constat *ἐκ* praepositionis principalem notionem eam esse, qua profectum aut ortum esse aliquid ex aliquo loco significet. Sic hic sine dubio flammam ex ferula oriri sive ortam esse dicere licet; at qua ratione? Iam supra demonstravimus ferulam igni recipiendo aptam fuisse, et non solum Prometheum, sed etiam aetatis posterioris homines ad hunc eius usum accessisse, Hesychius docet his verbis a Barnesio allatis: *τῷ νάρθηκι ἐχρῶντο πρὸς τὰς ἐκζωπυρώσεις τοῦ πυρός, ὅθεν κτλ.* Ignis vero sine alimentis quibusdam cogitari nequit; ergo in ferulis Bacchas res quasdam igni concipiendo aptas gestasse oportet. Quidquid fuit, quod in ferularum cavos canales deponebant,[1])

---

[1]) Quomodo ignem elicuerint, Livius fortasse docet in lib. XXXIX. cap. 13.

si ita rem accipimus, ut materie quadam incendii capaci eos repletos esse credamus, flamma nimirum *ἐκ νάρθηκος* orta dici poterat. Quod si concesseris, nulla difficultate hunc locum premi facile agnosces, quum remotis iis, quae in Heathii interpretatione minus placebant, reddatur optime his verbis: *Bacchus habens* (i. e. gestans) *igneam* (igniferam) *flammam taedae ex ferula orientem* (emicantem) *ruit.* — *πεύκας* vox ut saepe taedam significat (cfr. Eur. Orest. 1543). Taedarum autem mentio fit, quia orgia non raro noctu celebrabantur. — *πυρσώδης*: propria huius vocabuli vis est *πυρσῷ ὅμοιος; πυρσὸς* autem saepe valet: *signum igne datum*, id quod hoc loco negligendum non videtur, quia ducis fax accensa bene apud omnes signi locum tenere poterat. — Nostrae interpretationi supra indicatae, quamquam per se stare potest, tamen optime convenit, quod Hermannus proposuit: *ἀΐσσει δρόμῳ, χοροὺς ἐρεθίζων πλανάτας.* Sed quum Pal. praebeat *δρόμω καὶ χοροῖς* (*ι* vocis *χοροῖς* duobus punctis subscriptis notato) Laur. et Par. G. *καὶ χοροῖς*, Par. E. *τοῖς χοροῖς*, maiore librorum auctoritate ab iis, quae vulgo leguntur, *δρόμῳ καὶ χοροῖς* recedere prohibemur; et re vera non est, cur illa relinquamus. Sententiam enim ab Elmsleio bene redditam videmus verbis *εἰς δρόμον καὶ χοροὺς ἐρεθίζων.* — *πλανάτας* Bacchas hic nominat poëta, quod singulae vagantes tum demum a duce Baccho in thiasos congregari videntur. Ad *ἀναπάλλων* (Laur. habet verba obscura *ἂν ἀπ' ἄλλων*) participium, quod saepius intransitive usurpatum occurrit, hic cum Schoenio *πλανάτας* repetendum esse censemus (cfr. v. 1183); neque vero excitat dormientes, quod Bothio placet; sed fessas ad novos labores clamore Bacchico impellit. — Ipsius Bacchi iuvenis indefessi imago quasi quaedam versu sequenti adumbratur; capite enim facili motu sublato coma longa per aëra sparsa conspicitur. Variae quidem

formae fuerunt, quae Baccho tribuebantur (cfr. Preller I. p. 561); hic autem propter τρυφερὸν πλόκαμον voces nulla nisi nostra explicatio admittitur. τρυφερόν (cfr. v. 485 ἁβρὸν βόστρυχον) dixit poëta, quia omnino apud veteres coma bene nutrita (v. 447. 486) et curata (v. 231. Ovid. Met. III. 555) mollitiei indicium habebatur. — Cum εἰς αἰθέρα ῥίπτων cfr. v. 242. 181. — Quum interpretes metrum huius versus anapaesticum esse putarent, alii alias mutationes statuerunt; Heathius πλόκαμόν τ', Brunckius πλόκαμον ἐς (⏑⏑⏑⏑ pro ⏑⏑ —), Burgesius πλόκον εἰς commendaverunt. Sed recte Hermannus haec omnia repudiavit, quoniam dimeter anapaesticus ab hoc loco alienus ducendus sit. Pro vulgata scriptura ἅμα δ' ἐπ' εὐάσμασιν ἐπιβρέμει in Laur. invenitur ἅμα δ' ἐπευάσμασιν; praeterquam quod ἐπεύασμα alibi non exstat, duo vocabula, quae cum ἐπὶ praepositione composita deinceps leguntur, minus grata sunt. Servamus igitur, quae vulgo scribuntur, et ἐπὶ sic accipimus, ut dativo, qui ex hac vocula pendet, rem significari putemus, qua adiuncta Bacchus ἐπιβρέμει i. e. fremebundus obstrepit (cfr. Bernhardy p. 250). —

v. 154 sq. Alterum ὦ (v. 155) omittunt Laur. Flor. 1. 2. Par. E. — Pro χλιδᾷ librorum, utpote quod aptam explicationem non admittat, aut cum Schoenio ex Seyffertii coniectura legendum est χλιδάν, quod: *decus* reddens ad Διόνυσον (v. 157) referas, aut, quod et plurimis interpretibus et nobis magis placet, χλιδά, ex Reiskii correctione. Cuius verbis: „O Bacchae, quae estis decus atque deliciae Tmoli“ — appositionem ad Bacchas pertinere demonstratur. Quum χλιδή non solum sit: *mollities, luxuria,* sed etiam *res vitae effeminatae et delicatae proprias* significet (cfr. Pflugkium ad Eur. Andr. 2), recte Bacchae sic nominari possunt: *delicata grex.* — Tmolus hic χρυσορόας dicitur, quod Pactolus e monte profluens aurum vehit teste Herodoto (I. 93, 2. V.

101, 11). Elmsleius quidem χρυσορόα scripsit; sed quoniam utrumque α ictu erectum molestiorem sonum efficiat, Hermannus χρυσορόον auribus optime consulens servavit. — ὑπὸ praepositione in verbis ὑπὸ τυμπάνων indicatur Bacchis cantandum esse admixto tympanorum sonitu (cfr. Bernhardy p. 268. Iphig. Aulid. 1038 et quae Pflugkius adnotavit ad Eur. Hel. 639). — βαρύβρομον Euripides in Hel. v. 1305 κῦμα ἅλιον, v. 1351 αὐλὸν appellat, et in Phoen v. 183 βρονταὶ βαρύβρομοι commemorantur, e quibus vocis notionem cognoscere licet. (Vide etiam Ovid. Met. IV. 391.) — εὔια adverbii locum tenens cum ἀγαλλόμεναι coniungas et reddas: *Bacchico more celebrantes.* — ἀγάλλεσθαι hic, id quod rarius occurrit, activae formae vim et ideo accusativum adsumpsit; saepius est: gaudere, delectari aliqua re. — εὔϊος θεός (cfr. v. 1159; etiam simpliciter Εὔϊος v. 557. 570). Bacchus appellatur a nota illa εὖα sive εὐοῖ voce in orgiis usitata, de qua audias Lobeckium in Aglaoph. p. 1041 sq. — ἐν hoc loco instrumenta indicans παρέλκει i. e. redundat ex Bothii iudicio (cfr. Bernhardy p. 213). Phrygias voces non alienas fuisse a Bacchi cultu ex eo colligere licet, quod cum sacris ipsis etiam nomina et mores transferri solent. Cuius rei exemplum tibia Phrygia in verbis, quae sequuntur, commemorata praebet. λωτὸς nominatur (cfr. Eur. Hel. 170. Alc. 346), quod tibiam e ligno duro et fusco arboris cuiusdam Africanae, cui loto nomen erat, fabricabantur. — εὐκέλαδος epitheton illustratur verbis ἀδυβοᾶν αὐλῶν v. 130 sive αὐλὸς καλλιβόας Soph. Trach. 640; atque non inepte βρέμειν usurpatum est, quod sonus tibiae illius multo gravior et flebilior quam nostrae erat. — ἱερὰ παίγματα sunt modi, quibus in sacris adhibitis ad iocum et ludum Bacchae vocantur. — Verba σύνοχα φοιτάσιν Heathius reddit: *continenter vagantibus*, ita ut dativus ex βρέμῃ pendeat; sed

talia hoc loco non exspectamus; praeferimus igitur Elmsleii interpretationem: *congrua*, qua σύνοχα ad παίγματα relatum cum dativo φοιτάσιν iungitur (cfr. Eur. Hel. 171, ubi Pflugkius: „σύνοχα i. q. συνῳδά v. 174"). Neque vero postea cum viro doctissimo sentimus; non enim credimus φοιτάσιν (Elmsleius Φοιτάσιν) aliud quidquam significare quam euntibus vel insane procurrentibus, nempe Μαινάσιν; simplex epitheton est ut antea πλανάτας et δρομάδες (v. 730), nequaquam nomen proprium Bacchas notans. Sententiam suam Elmsleius ideo amplecti videtur, ut εἰς ὄρος, εἰς ὄρος vocabula facilius cum κῶλον ἄγει conectere liceat; nam si idem est atque Μαινάσιν apparet εἰς ὄρος verba non posse ad φοιτάσιν referri. — Nihil contra impedit, quominus ex adiectivo φοιτάσιν pro φοιτώσαις posito εἰς ὄρος pendere dicamus, quum motus notioni bene terminus addatur. Sic liberamur difficultatibus, quibus Musgravius et Elmsleius locum premi putant, quod non facile sit dictu, a quo verbo vel participio pendeat εἰς ὄρος. Quomodo ab altero scrupuli tollantur, modo exposuimus; alter, Musgravium dicimus, sibi verisimillimum esse ait poëtam εἰς ὄρος construi voluisse cum ὦ ἴτε Βάκχαι (v. 154) novem versibus διὰ μέσου quodammodo positis. Ita duplex εἰς ὄρος, quod habent libri, fortasse retineri potest; sed longius sane haec repetita esse totumque locum a tali interpositione abhorrere neminem fugit. Quae deinde Elmsleius proposuit, primum ideo non probamus, quod εἰς ὄρος duplex cum κῶλον ἄγει coniungendum verborum sententiae minus aptum iudicamus; nam neque adhortandi caussa haec pronuntiantur, neque ut supra (v. 119) orationem commotiorem putamus esse. Recte enim Musgravius hic iterum narrativam fieri dictionem monet, choro docente Bacchas talibus vocibus, quales verbis antecedentibus exhibentur, delectatas ad choreas agendas se convertere. Qui-

bus perpensis optime ab Hermanno factum esse censemus, ut alterum εἰς ὄρος deleret, quamquam vir doctissimus metri caussa, non sententiae librorum scripturam neglexit, ne numerorum aequabilitas in extrema epodi parte conspicua perturbaretur. — Tum, ut ad Elmsleium redeamus, minime placet locus, quem δ' ἄρα particulis tribuit, quae ut potuerint sedem usitatam relinquere, cur post quintum demum vocabulum positae sint, nihil caussae est; sin autem εἰς ὄρος· ἡδομένα δ' ἄρα legimus, omnia recte se habent, et particulis, quum maiorem vim quam simplex δὲ habeant et Latinis: scilicet, nimirum respondeant, ultimum enuntiatum, ut nostrae explanationi convenit, ab antecedentibus accurate distinguitur. — In extremis verbis et interpungendis et legendis Musgravium sequimur, qui πῶλος — — φορβάδι a ceteris seiunxit et pro vulgata scriptura Βάκχου recepit Βάκχα. — Βάκχου σκιρτήμασι quidem, quum valere possit: *saltationes, quorum auctor est Bacchus,* nihil offensionis habet; sed ἄγει vocem nomine, cui iungatur, inviti carentem videmus. Optime Bacchae pullo equae pascentis comparantur, quippe quae cursu et saltationibus in pascuis vagantem et luxuriantem imitentur. κῶλον de omnibus corporis membris usurpatum epitheto ταχύπουν satis definitur (cfr. v. 658. Eur. Hel. 1301), cui vocabulo notionem substantivi, ad quod accedit, iterum inesse cernimus ex more poëtarum non raro occurrente, de quo iam supra diximus. — Verbis autem κῶλον ἄγειν σκιρτήμασι i. e. *pedem celerem saltationibus agitare* sive *circumăgere*, apparet saltandi motum depingi. Denique quod Reiskius maluit, Βάκχος, eo efficitur, ut verba ἡδομένα δ' ἄρα non habeant, quo referantur; Burgesii vero coniecturam ἄγω — — Βάκχου, qui quem nos defendimus sententiarum nexum iustum duxerit, non probabit.

